



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA IALINGÖENSIS* IN NIGERIA NOVA CONDITUR DIOECESIS IALINGÖENSIS Quo efficacius consuleretur aeternae spirituali saluti atque regimini Christifidelium in Nigeria degentium, nuper est petitum ut in eadem Natione nova dioecesis constitueretur. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Caroli Mariae Viganò, Archiepiscopi titulo Ulpianensis atque in Nigeria Apostolici Pronuntii, admotae postulationi concedendum esse putaverunt. Nos igitur de universi Dominici gregis bono solliciti talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Yolaënsi dioecesi separamus territorium regionis civilis patrio sermone nuncupatae «Taraba»; ex eoque novam condimus dioecesim *lalingöensem*, quam metropolitanae Ecclesiae Iosensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe «Jalingo» atque templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Augustini dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Carolus Maria Viganò, quem diximus, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, p. 543 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana